

alterum sordidum ac nigrum, grandioribus  
glebis, in offas conuolutum, quod quidem  
ex India aduehitur. Defertur etiam à Petra  
oppido siccum, resinosum, subliuidum, sed  
facultate secundum. Adulteratur admixto  
gummi: verùm ita vitiatum non perinde  
gustui amaritudinem repræsentat, neque  
vsqueadè suffitionibus odoratum est. Vim  
porrò obtinet calfaciendi, molliendi, discu-  
tiendi duritias, turgescientia guttura, & a-  
quolas hernias, ieuni saliuæ dilutum. Tum  
appositu, tum etiam suffitu vuluæ spiracula  
laxat, & partus humiditatémque omnem  
extrahit. Calculos potu cōminuit, & vri-  
nas dicit. Tussientibus, & iis qui à virulen-  
tis bestiis demorsi fuerint, vtiliter exhibe-  
tur. Valet quoque ad rupta, conuulsa, lateris  
dolorem & vagos ac discurrentes flatus. In-  
seritur & malagmati que ad duritias & no-  
dos neruorum conueniunt. Contusum verò  
subigitur, affuso vino aut aqua calida.

*De Thure.* C A P . LXXXI.

**T**HVS in ea quidem Arabia gignitur,  
quæ Thurifera cognominatur. At pri-  
mas tenet masculum stagionas appellatum,  
naturæ sponte rotundum. Tale autem mi-  
nimè sectum est, candidumque visitur, &  
cùm frangitur, intrinsecus pingue, cùmque  
adoletur, statim ardet. Indicum verò, sub-

E. iiiij.

fuluum est & liuido colore: sed rotundum etiam arte & industria factitatur. Nam in quadrangulares formas dissectum fictilibus tandem versant atque voluant, donec formam rotundam contraxerit. Verum huiusmodi Thus tempore flauescit, atomumque aut syagrium appellatur. Secundum locum tenet orobium, quodque in Amelo nascitur. Id nonnulli copiscum nominant, & minus ac fuluius existit. Est & genus quadram, cui amomita cognomen, quodque cetera candidum quidem est, at dum mollitur subigitur, mastiches more digitis cedit. Adulteratur porro Thus omne, pinea resina & gummi artificiosè tractatum. Sed maleficium facilè deprehenditur. Siquidem incensum gummi flammam non concipit: resina in fumum vanescit: thus vero conflagrat. Eiusmodi præterea fraudem & odor ipse prodit. Calfaciendi astringendique vi pollet, nec non & ea exterendi quæ pupillis caliginem offundunt. Causa vlcera implet & ad cicatricem perducit. Cruenta vulnera glutinat: sanguinis eruptionem omnem cohibet, ac eam etiam ipsam quæ fit è meningibus. Cum lacte tritum & linamento exceptum, sedis ac reliquarum partium maligna vlcera mitigat. Myrmecia inter initia impetrantisque ex aceto & pice illitum tollit.

Quin

Quin & igni ambusta vlcera pernionésque  
cum adipe suillo aut anserino sanat. Vlcera  
verò capit is manantia cum nitro affictum  
percurat. Paronychiis cum melle, & contu-  
sis auribus cum pice, medetur. Ad reliquos  
autem aurium dolores cum vino dulci vti-  
liter infunditur. Perunctum quoque cum  
Cimolia & rosaceo, mammis confert à par-  
tu inflammatis. Sic & arteriæ internorūmq;  
viscerum medicamentis vtiliter ammisce-  
tur, & sanguinem expuentes potu iuuat.  
Verùm in secunda valetudine haustum, fu-  
rorem inducit, & largius cum vino potum,  
etiam interficit. Cæterū Thus in fītili  
mundo positum crematur grano succēsum  
de lucerna accenso, donec exuratur: post  
perfētam autem vſtionem, operculo quo-  
dam integere oportet, vsquedum restinguat-  
tur sic enim in cineres minimè redigitur.  
Nonnulli porrò ollulæ vas æneum cauum  
& in medio perforatum superimponunt ad  
fuliginem excipiendam, veluti mox, cùm de  
thuri fuligine fieri mentio, demonstrabi-  
mus. Alij in ollam crudam luto oblitam im-  
mittunt, vrūntq; in fornace. Torretur quo-  
que candardibus carbonibus in fītili no-  
uo, dum non amplius bullet, aut pinguitu-  
dinem vaporēm vllum emittat. Friatus  
verò facile quod perustum est.

*De Thuris cortice.* CÁP. LXXXIII.

Cortex thuris præstat crassus, pinguis, odoratus, recens, lœuis ac minimè scaber aut membranaceus. Adulteratur autem admixto strobilino aut pineo cortice. Sed & horum index est ignis. Siquidem reliqui cortices incensi, nequaquam conflagrant, sed citra odoris gratiam in fumum euanescunt: thuris vero cortex ardet, & cum odoris fragrantia sufficitur. Cæterū & hic ipse thuris modo vritur. Vis autem ei eadem quæ thuri, verū efficacior & magis astrictoria. Quare potus, sanguinem expuentibus accommodatior est: itēmque alui uterive fluxione laborantibus, noduli vice subditus. Est & ad oculorum cicatrices, cavitatēsque ac sordes, efficax. Torrefactus autem, scabris etiam lippitudinibus auxiliatur.

*De Manna thuris.* CÁP. LXXXIII.

Manna thuris probatur candida, pura & granosa. Vim habet eandem quam thus, sed aliquantò remissiorem. Sunt qui admixtis resina pini cribrata & polline, aut etiam thuris contusi cortice, ipsam adulterent. Sed hæc quoque maleficia ignis arguit. Neque enim incensa æquè ac pari vigore aëris modo putrum vaporem, sed fuliginosum & impurum emittet. Quin & odori grato permixta grauolentia comperietur.

De

*De Thuri fuligine.*

CAP. LXXXIIII.

Thuris verò fuliginem sic facito: Thuris grana forcipicula singulatim apprehensa de lucerna accendito, & in nouam fictilem ollam concauam imponito. Deinde æreo vase introrsum cauo ac in medio perforato diligentèque deterso obtegito. Tùm ex altera eius parte, aut etiam vtrinque, lapillos quaternum digitorum altitudine subiicit, quò facilius introspici queat, vtrum illa vrantur: & locus ut sit, per quem grana alia supponas, priusquam granum primum peditus restinctum fuerit. Hoc verò facies, donec sat fuliginis collegisse videare. Assiduè tamen externas æramenti partes aqua frigida ex spongia vndique imbuito. Sic enim ipso non magnopere calente, fuligo omnis firmius adhærescit: quæ alioqui sua leuitate delapsa thuris cineri permiscetur. Derasa itaque prima fuligine, idem opus repetito, quoties visum fuerit: ac cinerem quoque è cremato thure seorsim excipito. Cæterum illa oculorum inflammations leniendi vi pollet, fluxiones cohibet, vlcera expurgat, caua explet, & carcinomata compescit.

*De Fuliginis confectione.*

CAP. LXXXV.

**A**D eundem modum è myrrha , resina & styrace, fuligo conficitur , quam ad eadem accommodant. Ex reliquis quoque lacrymis fuligineum similiter excipo.

*De Pinu.* CAP. LXXXVI.

**P**INUS vulgò nota arbor est. Eiusdem verò generis est , quæ picea dicitur : specie siquidem dūtaxat hæc ab illa differt. Vtriusque cortex astrictorius est : ad intertrigines tritus & inspersus confert , itēmque ad superficiaria vlcera & ambusta , cum argenti spuma & manna. Cerato myrteo exceptus , vlcera tenella cute præditorum ad cicatricem perducit : eadem illa serpentia cum atramento sutorio tritus cohibet. Suffit partus & secundas ciicit : potu verò , aluum fistit & vrinas mouet. Quin & ipsarum folia trita & imposita inflammations leniunt , & vulnera ab inflammatione vindicant. Ad lauorem autem trita & in aceto decocta , dentium dolores demulcent , si calida colluantur. Prosunt & hepaticis folia drachmę vnius pondere ex aqua mulſave pota. Eadem præstant strobili cortex foliaque epota. Quinetiam tæda ex ipsis intenues assulas concisa & in aceto cocta , dentium dolores mitigat , si qua parte dens dolet , decoctum id ore

ore contineatur. Ex ipsis etiam spatha fit, ad acoporum & pectorum præparationes idonea. Quin & ex iis, dum creinantur, fuligo excipitur, ad libratij atramenti confectionem utilis: itemque ad medicamenta honestandis palpebris dicata. Erosis quoque oculorum angulis, glabris callosisque genis, & lacrymantibus oculis, opitulatur.

*De Pityidsbus.* C A P. LXXXVII.

Pityidum nomine picearum & pinorum fructus appellantur, qui in conis reperiuntur. Vim habent astrictoriam & aliquatenus excalfacentem. Tussi pectorisque vitiis tum per se, tum etiam cum melle sumptæ, auxiliantur.

*De Strobili.* C A P. LXXXVIII.

Strobili si repurgati edantur, aut cum pasto & cucumeris femine bibantur, vrinas cident, & humorum acrimoniam hebetant, qui vesicam & renes infestant: sedant & rationes stomachi sumptæ cum portulacæ succo: necnon corporis infirmitatem roborent, corruptotumque humorum labem obtundunt. Toti autem strobili ab arboribus decepti, ac recentes contusi & in passo decocti, ad vetustam tuism & tabitudinem conducunt, si ex eo liquore terni quotidie cyathi assumentur.

*De Lentisco.*

## C A P . L X X X I X .

**L**ENTISCVS nota arbor est, partibus sui omnibus astrictoria. Etenim ipius fructus, folium, ramorum & radicis cortex, partes vires sortiuntur. Exprimitur & succus ex cortice, radice ac foliis, hunc in modum: Hæc simul in aqua sufficienter coquuntur: quæ deinde, ubi à coctione refrigerata fuerit, abiectis foliis iterum coquitur, donec mellis habeat crassitudinem. Valet is, qua pollet astringendi vi, ad sanguinis reiectiones, alii profluvia & dysenterias, in potu: itemque contra sanguinis ex utero eruptiones, atque tum ipsius uteri, tum etiam sedis procidentias. In summa denique acacia & hypocistidis vice ipso utri licet. Eadem quoque præstat succus è tritis foliis expreßus. Quin & eorum decoctum fotu cauæ explet, ossaque quæ nondum conserbuerunt, obducto callo solidat, ex utero fluxiones fistit, nemas arcet, vrinas ciet, ac dentes mobiles collutione firmat atque stabilit. Virentes autem surculi arundineorum dentiscalpiorum vice dentibus affricti, eos repurgant. Fit denique & ex ipso lentisci fructu astrinxens oleum, ad ea quæ astrictionem desiderant, accommodatum.

*De*

*De Resina lentiscina.*

CAP. XC.

E lentisco quoque resina nascitur, lenticina cognominata, & à nonnullis mastiche dicta. Pota sanguinis reiectioni & veteri tufsi utiliter adhibetur. Stomacho quoque est utilis, ructumque mouet. Additur etiam in dentifricia & faciei illitus: quippe quæ nitorem cuti conciliat. Quin & pilos oculorum fluentes glutinat & cohibet: commendata oris halitum, commendat, gingiuasque contrahit. Præstantissima porto & copiosissima in insula Chio prouenit. Præferatur pellucida, cere Tyrrenicæ candore similis, crassior, arida, friabilis & odorata: viridis autem minùs probatur. Adulteratur vero admistis thure ac resina strobilina.

*De Terebintho.* CAP. XCI.

TEREBINTHVS cognita arbor est: cuius folia, fructus & cortex, qua pollent astringendi vi, ad eadem ad quæ etiam lentiscus, conueniunt, simili parata modo sumptaque. Eius fructus esculentus est, at stomacho noxious: vinam vero ciet & excalfaicit. Est & ad excitandam venetem aptissimus: ex vino vero potus, contra phalangiorum mortuis prodest. Resina eius ex Arabia Petraea conuehitur. Prouenit tamen etiam in Iudea, Syria, Cypro, Africa, & Cycladibus.